
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

No 416 A IV
382
K.W.
199
C 8
3164 kis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Est hic versificator maledicus inter plures nostræ regionis, qui lumen illud Batavię Erasmum Rot: famoso epigrammate proscindere vatiniano in eum odio ex Layolitica doctrina infectus, veritus nō fuit. Sentyt et venenatę eius linguæ ~~venenum~~ telum Ericius Puteanus vir variæ eruditionis, quod absurde eius Orthographię Belgicę acumen fortè non probaret.

Campanella hist lib. 3 pa. 191 ad aⁿ 1572. Cornelio Musio huamo illustre, non men per dottrina che per nobilta del vita, nato in Delf citta d' Holanda era gentilissimo poeta, et percio coronato, secundo il costume antiquo. vide eius vitam extemis descriptā in princ. libri.

Arn. Buchellij liber
1632.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

No 416 A IV
382
K.W.
199
C 8
3164 hss



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Bp 10 Hy is van Sardammer afkomst
12 Admiraelschap zeelan
16 Hoofden Lof 17
N3 — 18 Sardammers in Amsterd.
N3 — 19 Aula Gyselberti 20
N3 20 Of Engelbert het geschrift
hebbe.

21 oorsponk van Plemps naam

N3 22. Arn NOA verwoest
23. Plemp woerde degen by de lange
brug
25. Hoofts Telsangemeld.
25. Stoke sijne noemene
32 hoelang Guy geregeerd

N B: dit bovenstaande is geschreven
door Jan Wagenaar.

(J. Koning.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

476 Z,44²

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

523481.

CORNELII GISELBERTI
PLEMPII

MVSIVS,

ſive

RHYTHMI.

Cum Poëmatijs.



Amſterodami,

Venales reperiuntur apud Ioannem
VValſchart, 1618.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

NICOLAO ZOESIO
Sylviducenſi Epiſcopo

Rhythmos ſuos dedicat

C. G. PLEMPIVS.

VOs, qui cathedram tenetis,
Et Sylviduci ſedetis
Zoeſius cognomine;
Rhythmos meos hos habete,
Factos mentis cum quiete,
Et fœlici omine.
Cæperatis mox clarere,
Cùm mihi rhythmi venere
In mentem, quos ſcriberem:
Mihi, qui præter Pimplæas
Vndas, & Hippocrenæas,
Nullas antè biberem.
Dum tu præſul es mitratus,
Deus faxit ut pacatus
Noſter orbis rideat;
Brabantoque, ceu meorum
Alter alteri rhythmorum,
Batavus aſſideat.
Vtinam ſed dulciores
Vates, ac me cultiores
Veſtrum ſanctuarium

 Per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Per munus honeſtent bonum
Melle modulationum,
Et clauſurâ parium.
Quanquàm poſſum ſat præclarè
Rhythmos meos dedicare
Vobis amatoribus
Sacrarum cantilenarum,
Et Eccleſiaſticarum
Muſarum tutoribus.
Pius fratres dilexiſti
Meos hoſpes, ac fouiſti
Petrum, & Timotheum:
Memor gratiam repono,
Venerorque levi dono
Præſulem philotheum.
Dici verſus rhymi ſolent
Batavo, qui rhythmos olent,
Et ſequuntur proximè:
Rhymi ſunt abiectione
Rhythmi ſunt adiectione
Partis medioximæ.
Rhythmi noſtri ſunt Latini,
Aliàs haud peregrini,
Et ſat apti numeris,
Quibus uti conſueverunt,
Qui rhymos compoſuerunt
Formulis innumeris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Nec ſunt rhythmi viliores,
Quia ſolent rariores
Carmina quàm fieri:
Latinorum qui ſcripſerunt
Rhythmos, ſancti claruerunt,
Et Græcorum hieri.
Is,qui Bigam miniſtrorum
Iuxta ſemitam errorum
Nuper ſcripſit,quis vir eſt?
Si rhythmos conſideremus,
Numeroſque ponderemus,
Auctor ille bis vir eſt.
Vtinam non ægrotâſſet,
Operamque collocâſſet
In ſanâ materiâ,
Quæ non foret ſcabioſa,
Non plebeia,non probroſa,
Non ſcatens miſeriâ!
Muſius,qui poëtarum
Fulſit iubar valdè clarum,
Sæpe rhythmis uſus eſt,
Pro ſua ſinceritate,
Mira cum feſtivitate:
Rhythmi dulcis luſus eſt.
Muſius rhythmis gaviſus
Nomen eſſe dignum viſus
Noſtris his crepundijs:

Muſius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Muſius rhythmos amavit,
Et præ nummis collaudavit,
Præque latifundijs.
Nil hìc acre diſputavi,
Nec iactator venditavi
Stultus ſapientiam:
Arbitror me ſatis ſcire,
Si poſſum Chriſto ſervire
Vitans excellentiam.
Cum Romanis ſentiendo
Mitto litem; nec contendo,
Sed trado ſimpliciter,
Quod maiores mihi pridem
Tradiderunt, illud idem.
Vtinam feliciter!
Vulgi ſenſu nil peccarem,
Si iocator ſcriptitarem
Somnia, vel fabulas:
Aut Saturnalitiorum
Sarcinis articulorum
Onerarem rabulas.
Patria tam aliena
Non eſt ab hac cantilenâ,
Nec eſt ita ſtolida,
Vt nulla putet exſtare,
Quæ conveniat narrare,
In vetuſtis ſolida.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Crucifixum veneratur,
Nec Mariam averſatur;
Sed horret flagitia;
    Horret crimina cruenta
    Commiſſa per turbulenta
    Bellorum initia.
Mox natalem recultura
Chriſti,hyeme ſub durâ,
Solvit mihi venulam
    In Latino-Hollandinam,
    Seu Hollandicolatinam,
    Quaſi thyrſo,ſtrenulam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

STRENVLA.

GAudeamus, laet ons blye
Weſen/ heden hoc in die;
Filius nam, want den ſone
Des goe moeders/ matris bonæ,
Toont der aerden/ monſtrat terræ
Stellam ſuam, zynen ſterre:
Manè, ſerò, vroech en late
Wilt dees loven/ hunc laudate;
Menſch waerachtich/ homo verè
Dominus eſt; is den Here/
Quo beamur, daer wy dore
Salich werden/ Salvatore.

CORNELII GISELBERTI PLEMPII

MVSIVS.

VITA MVSII.

SI vis, Lector, quis ſim ſcire,
Poſſum paucis expedire;
Nec eſt opus fuſiùs:
Ex ſutore Delfi natus
Sum Cornelius vocatus
Cognomento Muſius.
Pater erat Flardinganus,
Pauper, ſollers, & humanus,
Nec torpens inertiâ.
Obtigit mihi natalis
Menſis dies Iunialis
Ante Idus tertia.
Carlus Quintus naſcebatur
Anno, qui tum vertebatur
Felix Gandavenſibus.
Tandem dixi, Delfum vale;
Iuvenis non vivam malè
Cum Lovanienſibus.

Stagiritam tunc tractavi,
Et memoriæ mandavi
Scita naturalia:
Græcam linguam cum Latinâ
Ex Caſtrenſi diſciplinâ
Sum nactus, & alia.
Mox Gandavum veniebam:
Pædagogus hìc fiebam;
Patribuſque placui.
Dèin Lutetiam profectus,
Et Pictavium provectus
Mentem libris acui.
Abbas Aquicinctianus
Nummos mihi dans in manus
Suſtulit inopiam:
Mox poëtis laureatis
Gratus eram ceu cognatis,
Rerum propter copiam.
Dum biennium morabar
Pictavij, meditabar
Diligens opuſcula;
Quibus ſupra vulgum clarus
Eruditis forem charus
Docta dans munuſcula.
Poſthæc domi ſum ſacrarum
Factus pater puellarum;
Meq́ꝫ caſtum præſtiti.

Agatha

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Agatha me tuebatur,
Quæ mihi tum colebatur:
Semper culpis reſtiti.
Sic triginta quinque ferè
Anni mihi ſucceſſere,
Per quos hoſpitalitas
Fulſit inter meos mores:
Sed & in eſuritores
Blanda liberalitas.
Nunquam fui cuiquam gravis;
Semper mitis, ac ſuavis
Multas amicitias
Vnus mihi comparavi,
Nec ſuas quenquam vexavi
Dicax ob nequitias.
Mirè Lindanum dilexi,
Atque Suſium ſuſpexi
Præſidem Bataviæ:
Illi nunquam accuſârunt,
Nec imprudentes damnârunt
Muſium ignaviæ.
Solitudinem cantavi;
Et Imaginem mandavi
Rhythmis Patientiæ:
Sic ſum Patres imitatus,
Veteriſq; collatatus
Cultu ſapientiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Maximè dum ſenex eſſem,
Et Catholicam conſueſſem
Diſciplinam tradere.
Libellos tum multos ſcripſi,
Quos legunt, qui ſtudent ipſi
In pios evadere.
Tandem Princeps, quem amabam,
Et pro quo ſemper orabam
Vota ferens Domino,
Guiljelmus Naſſoviorum
Triſte funus, quem dolorum
Causâ memor nomino:
Videns is malos ſævire,
Vim nec auſus impedire
Dixit, abi properè:
Nebulones te vexare,
Et hanc domum ſpoliare
Cupiunt magnoperè.
Muſius domo ceſſurus
Dixit, hìc es moriturus,
Princeps nobiliſsime:
Verum dixit ut propheta,
Qui novit Dei ſecreta:
Occidit citiſsimè
Princeps Batavûm Dictator,
Quando venit ſalutator
Medium traijciens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Dominumque quem vocabat
(Facinus diſsimulabat)
Prorſùs interficiens.
O mors nimis deploranda,
O mors verè miſeranda,
O mors inſuavior
Quâlibet acerbitate!
O mors ipſâ gravitate
Mortis longè gravior!
Muſius cùm diſceſsiſſet,
Nec vel dicto quem læſiſſet,
Incidit in retia;
Quæ Lumæus trux tendebat;
Qui ex dirâ capiebat
Gaudium facetiâ.
Captum iuſsit cruciari,
Vri ſimul, & ſecari:
Sudat mox crudelitas.
Sævas ergo quæſtiones
Intendebant nebulones:
Crimen eſt fidelitas.
Crimen pietas nefandum,
Duriterque caſtigandum
Crimen ſacerdotium:
Crimen illud, quod ſacrarum
Dabat cultui Muſarum
Homo doctus, otium.

Erat Muſio conſtanti,
Non levi, non vacillanti
Cerebrum Catholicum:
Hinc illius putabatur
Eſſe, fors & dicebatur
Caput diabolicum.
Nolo quis hæc honeſtorum
Eſſe credat in virorum
Scripta contumeliam:
Quaſi hi (quæ continebat
Virus, quod non effluebat)
Fregerint fideliam.
Nam Auriacus ploravit,
Et ſat altùm ſuſpiravit
Rapto dirè Muſio:
Sævijt plebeia peſtis;
Abſit ut iungat ſceleſtis
Integros colluſio.
Qui prognati malis ovis,
Illi ſeſe rebus novis,
Atque tempeſtatibus
Miſcent Rerumpublicarum,
Vt ſe nimbis vis ſagarum,
Neglectis primatibus.
Per primates non ſtetiſſet,
Quò minùs tutus abiſſet
Vir excellentiſſimus,

Pius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Pius, prudens, Romanarum
Plenus elegantiarum,
Laureà digniſsimus.
Scurræ, fures, turpe vulgus,
Et Lumæus nummimulgus
Opprimebant Monachos,
Tanquam plagis ſuſtinendis,
Et fataliter ferendis
Malis natos onagros.
Manibus altè ligatis,
Axilliſq; peraſſatis
Muſius ſuſpenſus eſt:
Saxa corpus extendebant,
Quæ de pedibus pendebant:
Vir pœnas emenſus eſt.
Magnas pœnas; at maiores
Etiam parant tortores:
Per os aquam frigidam
In corpus ſenile fundunt;
Hanc mox baculis extundunt.
O Orcheſtram rigidam!
Per pedes hinc ligabatur,
Et inverſus tollebatur
Septuagenarius:
Digitos tunc remiſerunt
Vincla, cutem tenuerunt.
Heu, furor nefarius!

Mox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Mox in forum ſenex tractus
Truncus eſt in crucem actus,
Leidanis ſpectantibus:
Anima viri victoris
Cœlum ſcandit grata choris
Divûm triumphantibus.
In locis mortalitatis
Manſit fama ſanctitatis,
Carminumque gloria:
Martyr fortis, magnus, purus
Eſt æternâ cluiturus
Muſius memoriâ.
Patria, non invidebis
Magni viri ſed favebis
Admiranda manibus:
Illum feres collaudari,
Tuique Plempi cantari
Rhythmis haud inanibus.
Tantum tibi barbariſmum,
Neque poſſum ſolœciſmum,
Patria, tribuere;
Vt virûm doctorum laudes,
Quibus plùs quàm Delfum (gaudes,
Studeas minuere.
Nec poſſum exiſtimare
Te inſanam vim probare
Plebis abiectiſsimæ,

Mili-

Militumque barbarorum:
Non faves tu ſcelestorum
Turbæ iniquiſsimæ.
Semper bonos hi necare
Student, & eradicare;
Semper maleſaciunt:
Illi verò, qui divinam
Servant Chriſti diſciplinam,
Hoſti beneſaciunt.

C. G. PLEMPIVS
Ad Simonem Sovium.

MVſium poſt quam donâſti,
Sanè, Sovi, me beâſti
Peraccepto munere:
Amo Muſium venuſtum;
Amo vatem doctum iuſtum,
Magno functum funere.
Chriſtum crucifixum colunt,
Qui cum Chriſto mori volunt,
Et occidi pariter:
Quem non enecant tortores,
Nec exanimant oſores,
Interit vulgariter.
Soli ferre poſſunt fortes
Ante diem mille mortes,
Mortes crudeliſsimas:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Mortes, quas ſolet obire
Vulgus amans vitam mirè,
Deputant leviſsimas.
In te, Muſi, tolerandæ
Diræ necis, & infandæ
Vixit efficacitas:
Ergo vixit in te Chriſtus,
Cuius ſenſus tuis miſtus
Verbis eſt veracitas.
Phæbum vates fabulantur
Eſſe, cuius vi loquantur,
Cuius canant numine:
Chriſtus reddit ſapientes,
Et ſerenat doctas mentes
Veritatis lumine.
O beata ſolitudo;
Stultis obſtat lippitudo,
Quò te minùs videant:
Facit ut tuos amicos
Doctos, claros, & pudicos,
Quaſi vanos rideant.
Muſius te declaravit;
Vulgus amens oblatravit.
Noluit te cernere,
Noluit te venerari,
Collaudare, nec mirari;
Voluit te ſpernere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Muſij dum rhythmos lego,
Vtinam libenter ego
Fiam ſolitarius;
Nec quietem Camænarum
Oderim domeſticarum;
Prodeamque rariùs!
Vtinam hoc donum Dei
Conſequar miſerti mei,
Muſianis precibus!
Vano curſu non laſſabor,
Nec humanis inquinabor
Luto, pice, fæcibus.

SIMON SOVIVS
Ad C. G. Plempium.

QVòd tantoperè lætaris,
Atque tibi gratularis
Ob donatum Muſium;
Quòdque illum venereris,
Et ſcribendo imitaris
Eiuſdem ingenium:
O Corneli, rectè ſentis;
Et quicumq; ſanæ mentis
Sunt, haud ſecus ſentiunt:
Dignus ſanè qui legatur,
Et ab omnibus teratur,
Qui doctrinam ſitiunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Sive ſpectes pietatem,
Sive ſtyli venuſtatem,
Semper ſui ſimilis.
Adde viri dignitatem,
Et coronæ maieſtatem.
An non venerabilis?
O ſi omnes candidati
Artis Muſicæ afflati
Tali forent numine!
Non tam vanè nugarentur,
Nec tam fœde loquerentur
Nullo digna lumine.
Hi dum laudem aucupantur,
Et ſe doctos arbitrantur,
Suum produnt vitium:
Nam docere pravitatem,
Omnem & obſcænitatem
Vnum his eſt ſtudium.
Sordidos ergo poëtas,
Et falſiloquos prophetas
Execremur peſſimè.
Caſtos potiùs amemus,
Atque pios lectitemus,
Qui proſint quammaximè.
Inter hos debet referri,
Atque adeò præferri
Noſter iure Muſius;

Quo non noſtra doctiorem
AEtas tulit, aut maiorem.
Quid eſt illo meliùs?
Quàm eſt fervens in laudando,
Et ad vitam exhortando
Omnes ſolitariam!
Quàm eſt pius in orando,
Et in Deo ſupplicando
Sanctus multifariàm!
Propter iſta nempe dona
Iam martyrij coronâ
Fulget inſtar ſideris.
O beate percepiſti
Iam, quod toties petiſti,
Chriſtum quòd dilexeris.
Chriſte, mentis hunc ardorem,
Divinumque hunc amorem
Noſtris indas ſenſibus:
Vt te ita hìc laudemus,
Tecum ſemper ut regnemus
In regnis cæleſtibus.

PATER NOSTER.

PAter, cuius veritati
Noſtram, ſicut pietati,
Debemus originem;

Cuius cælo ſtat maieſtas,
Et complectitur poteſtas
Aſtrorum vertiginem:
Tuum nomen excellentes
Sanctum, ſanctum, ſanctum mentes
Laude tollant triplici:
Tollant id, quæ creaturæ
Sunt, fuerunt, & futuræ
Honore multiplici.
Fugiant volantes anni,
Cadant temporum tyranni;
Tu regna ſtabiliter:
Tu cum tuis purpuratis
Sceptrum fer æternitatis
Inviolabiliter.
Quæ fiunt, & cogitantur:
Tuum numen amplectantur:
Qualiter cæleſtia
Nulli ſunt diverſitati
Apta, quadrent voluntati
Tuæ ſic terreſtria.
Caro cibus, ſanguis potus,
Qui eſt Chriſtus verè totus,
Cum divinâ gratiâ
Mentes paſcat: deinde ſano
Corpus, & quotidiano
Largus pane ſatia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Ne in tuo palimpſeſto
Noſtrum nomen ſemper eſto;
Nec pœnam debentibus
Gravis inſta; ſed remiſſim
Veniam da, quam viciſſim
Damus inſolventibus.

Ne proclives experire
An culpæ velint ſervire:
Tollatur occaſio,
Quæ nos ducat in reatum;
Neu in pravum trudat ſtatum
Mali nos invaſio. Amen.

IESVS.

NOn eſt vitæ, nec virtutis,
Veritatis, nec ſalutis
Nomen amabilius,
Quàm eſt nomen Ieſu regis,
Conditoris novæ legis;
Nullum plauſibilius.

Quando Ieſus nominatur,
Styx profunda vulneratur,
Nox, noctiſque velites:
Contra choros Angelorum
Multa mulcent gaudiorum,
Beatoſque cælites.

Ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Ergo Ieſum colloquendo
Frequentemus, & canendo:
Lingua Ieſum muſsitet:
Ieſus aures exauditus,
Amoremque, qui ſopitus
Intus friget, ſuſcitet.

Ieſus clara vox eſt Dei,
Quâ vivificantur rei
Mortis & triſtitiæ:
Oppida per regionum
Ieſus tuba ſpargens ſonum
Vitalis lætitiæ.

Sempiterni Patris verbum
Ieſus mite, non ſuperbum,
Sanxit Evangelium:
Stultæ priùs, ac dementes
Fiunt undiquaque gentes
Civitas fidelium.

Victor Ieſus triumphabit,
Chriſtianis dona dabit
Sempiternæ gloriæ:
Chriſtianos laus ſequetur,
Et poſt mortem lux addetur
Inclytæ memoriæ.

MARIA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

MARIA.

O Maria mater Chriſti,
Virgo Deum peperiſti,
Salutem mortalibus:
Tu nos per hunc redemiſti,
Perituros exemiſti
Pœnis infernalibus.
Gaudeamus ergo cuncti;
Vivi ſimul ac defuncti
Hymnos tibi recinant:
Fiat vallis lachrymarum
Altus mons lætitiarum;
Mæroreſque diſinant.
Sed ſi quem delectat flere,
Fleat, gaudeatque verè:
Nil fletu mellitius:
Plenus eſt iucunditatis;
Nil de fonte pietatis
Profluit penitiùs.
Abſit tamen mæror mentis,
Abſit dolor cum tormentis;
Sunt venenum cordibus:
Lachrymæ res ſunt decora;
Lachrymis madeſcant ora,
Non guttarum ſordibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Pueriles iſtos fletus
Puerilis parit metus:
Flendum eſt viriliter,
Cum conſtantiâ ſecurâ,
Animumque purgaturâ:
Stulti flent ſeruiliter.
Nos quidem adhuc peccamus
Dum Mariam celebramus,
Servimuſque vitijs;
Debetque culpa defleri;
Sed vult Ieſus miſereri
Dans anſam lætitijs.
Et Maria deprecatur,
Ne gens iure puniatur
Agens multa perperam:
O clementem ſponſam Dei,
Per quam abſolvuntur rei!
O piam puerperam!
Maior quovis Angelorum
Mater hæc eſt, cùi cælorum
Dominus obſtrictus eſt:
Fortior hæc Michaele,
Cuius opus per fidele
Lucifer devictus eſt.
Diva poteſt adorari,
Poteſt Dea nuncupari
Virgo mater Domini:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Ex hac unicâ puellâ,
Dum adhuc eſſet tenella,
Nata ſalus homini.
Eſt hoc die mihi gratus
Româ nuncius allatus,
In Beatâ Virgine
Crimen haud eſſe ponendum
Publicè, quod fert pudendum
Nomen ab origine.
Publicè licere tamen
Affirmare (amen, amen)
Virginem puriſſimam
Eſſe natam gratioſè,
Nec conceptam vitioſè
Matrem diviniſſimam.
Deus Paulo Quinto vitam
Longam nunc, poſt infinitam
Det æquando Superis,
Pro defenſâ puritate
Matris Dei benenatæ,
Et cenſuris nuperis.

CRVX.

IPſos ego Chriſtianos
Miror eſſe tam inſanos
Vt crucem deſpiciant;

Hancque prorsùs perverſorum
Spernant more Iudæorum,
Reſpuant, reijciant.
Morte Chriſti ſe beatos
Eſſe iactant, & ſignatos;
Sed ſimilitudinem
Mortis Chriſti vetant cerni,
Cæno velut ex Averni
Natam turpitudinem.
Pictâ malunt in tabellâ
Cerni virum cum puellâ,
Veneriſque gloriam;
Quàm quod Chriſti patientis,
Inque cruce morientis
Renovet memoriam.
Nempe non religioſus
Eſt, ſed ſuperſtitioſus
Iſtorum ſententiâ,
Crucem quiſquis veneratur,
Devotuſque recreatur
Illius præſentiâ.
Non eſt ſuperſtitionis,
Sanctæ ſed religionis
Crucifixum cernere:
Crucem quotquot averſantur,
Omnes iure iudicantur
Crucifixum ſpernere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Crucifixus adhærebat
Cruci; non hanc removebat:
Separari noluit,
Sed annecti, ſed affigi;
Sed pro nobis ſic affligi,
Commorique voluit.
Crucifixum non turpavit
Crux, ſed is hanc honeſtavit
Salutari funere:
Non eſt ullum nobis datum,
Poſt Adamicum peccatum,
Maius illo munere.
Crucem Chriſtus cùm ornavit,
Formam ſimul illuſtravit,
Quali crux depingitur:
Forma crucis abolenda,
Et tenebris obruenda
Vulgò malè fingitur.
Ergo crucem exaltamus,
Pingimuſque, quam laudamus
Cultores aſsidui:
Cruce ſignamur gementes,
Cruci nunquam non præſentes,
Semper individui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

S. VVILLIBORDVS.

NOn eſt nobis reticendus
VVillibordus, ſed canendus
Pontifex Bataviæ:
Contulit doctrinam cæli,
Et ſubiecit infideli
Stimulos ignaviæ.
Frigidos vir, & veſanos
Mutavit in Chriſtianos
Prædicationibus:
Cùmque foret magna meſſis,
Perſudavit indefeſſis
Laborationibus.
Primò tellus Nordumbralis
Inſulæ pars Anglicalis
VVillibordum genuit:
Quem pater Vulgis vocatus,
Monachis mox aggregatus
Secluſum non tenuit;
Sed dedit erudiendum,
Et in virum extollendum
Fratribus Ripenſibus:
Vbi puer eſt ditatus,
Multiſq; locupletatus
Pietatis cenſibus.

Annos

Annos hinc viginti natus
Non eſt abire gravatus
Procul in Hyberniam:
Nempe priùs obtinebat
Ab Abbate, cuì parebat,
Abeundi veniam.
In Hybernià Vigbertum,
Et Sanctum dictum Egbertum,
Tradentes Scholaſticam
Eleganter diſciplinam;
Vitam colentes divinam,
Et Eccleſiaſticam,
Annos bis ſex peraudivit:
Poſthæc gravius ſubivit
Iugum corde calido;
Pectoreque ſtatuebat
Huc, unde genus trahebat,
Maturare valido.
Ecce tempus fortunatum,
Fauſtum, felix, & beatum
Finibus Saxonicis;
Lignum vitæ quo plantatum,
Et in terris exaltatum
Eſt Friſiabonicis.
Nulla mora; navigabant,
Atque curſim tranſvolabant
Latum fretum ſoſpites,

Oſtioq; ſtabant Rheni
VVillibordum duodeni
Conſequentes hoſpites.
Dictus nomine ſuorum
Nunc hìc vicus eſt Cattorum,
Vbi Rhenus Batavum
Littus lapſu dividebat,
Mediuſque perfluebat
Memoriâ atavûm.
VVillibordus cùm veniſſet,
Paullulumque ſubſtitiſſet
Cauſsâ valetudinis,
Quòd eſſet mari iactatus,
Et inſuetæ fatigatus
Vi inquietudinis:
Noluit longùm ceſſare,
Voluit ſed properare
VVilt enburgum protinus
(Nomen erat hoc caſtello)
Viſus ibi vir popello
Non eſſe ſerotinus.
Ante tempus adventabat,
Qui præcepta vitæ dabat
Mortem diligentibus;
Non quidem Mahumetanis,
Iudæis, vel Arrianis,
Sed illotis gentibus.

Ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Ergo Chriſtus temnebatur,
Et nullis admittebatur
Auribus lex Domini:
VVillibordus ſuſpirabat,
Et, heu, ſalus dictitabat
Grata non eſt homini.
Victum tamen ſe negabat;
Nec rhipſaſpis terga dabat:
Sed Pipinum Franciæ
Regem velox eſt hortatus:
Rex vires opitulatus
Addidit conſtantiæ.
Hortabatur vir divinus;
Adiutabat rex Pipinus,
Et regni crepidine
Ethniciſmum dedocendi,
Et ad Chriſtum convertendi
Friſones cupidine
Collocavit exardentem,
Ac Rabandi imminentem
VVillibordum finibus,
Quorum incolæ ſpernebant
Diſciplinam, & parebant
Pravis libidinibus.
Multi tamen ſubditorum
Coronæ regis Francorum
Terris Borealibus

Sunt amplexi Chriſtianam
Fidem, & doctrinam ſanam
Votis liberalibus.
Vnde Pipinus gaudebat,
Ac VVillibordum mittebat
Romam, ſacerdotij
Cauſsâ maioris petendi,
Epiſcopalis ferendi
Et pondus negotij.
Luce quartâ perventurus
Romam erat, vir futurus
Sol multorum cordium,
Et per cæcas effundendi
Mentes, atque diſpergendi
Luminis exordium:
Sergius præmonebatur,
Dum quiete tenebatur,
Nuncio Angelico;
VVillibordo ut faveret,
Ac honorem exhiberet
Sacerdoti cælico.
Succeſſor prædeceſſorum
Sergius Apoſtolorum
Dei iuſsis paruit:
Venit enim valdè grâtus
Regis Franciæ legatus,
Et præſens apparuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Extollendus in primatum,
Et Archiepiſcopatum
Anglicanus preſbyter,
Qui mox eſſet rediturus,
Et Arctois oriturus
Lucidus Dieſpiter.
Venit, vidit, vicit multos,
Sapientes fecit ſtultos,
Quod dictu mirabile;
Et idolis ſupplicantes
Tranſtulit in adorantes
Numen Chriſti ſtabile.
Clemens hinc illato bello
Occidentali ſacello
Deiecit Mercurium,
Puta peſtem Avernalem,
Diram, & exitialem;
Stygium vulturium.
Deiecit, ſed vulneratus,
Ac penè decapitatus
A templi cuſtodiâ:
VVillibordus tamen pergit,
Nec ab incepto divergit
Vllâ palinodiâ.
Iter hinc ſecutus rectum
VViltenburgum ſeu Traiectum
Dominantis regiam

Veniebat in Rabaudi
(Nomen hoc repugnat laudi)
Fraudibus egregiam.
Eſt humaniter exceptus.
Sed quid niſi ſic deceptus?
Nam Rabaudus renuit
Se religioni piæ
Dare: idololatriæ
Ritus effrons tenuit.
Non ſolet eſſe ceſſator
Pietatis anhelator:
VVillibordus Daniam,
Petit Friſiâ relictâ,
Vbi non minorem dictâ
Reperit inſaniam.
Daniam durus Ongendus,
Crudelis, expaveſcendus
Premebat imperio:
Clementem tamen tractabat
Leniter, cuius obſtabat
Sancto deſiderio.
Ergo triginta puellos
Mente, ſed & fronte bellos
Ex ingenti numero
VVillibordus prudens legit,
Quos abducere ſategit
Vel geſturus humero.

Erat

Erat illos inſtructurus,
Et athletas effecturus,
Qui domi Satanicos
Mox opprimerent furores,
Et corrigerent errores
Veritate Danicos.
Iam VVillibordus ſuorum
Intra limites Francorum
Vigil operarius
Chriſti vineam colebat,
Et eius oves paſcebat
Plùs quàm mercenarius:
Cùm Pipinus moreretur,
Et Martellus potiretur
Regno patris nobilis,
Fortis, atque fortunatus
Cuius armis debellatus
Eſt Rabaudus mobilis.
Tunc VVillibordo licebat
Friſones, quos diligebat,
Lavare baptiſmate,
Viatico ſaturare,
Et adhibito ſalvare
Morituros chriſmate.
Anni iam ſunt plùs nongenti:
Cadit fractum peſtilenti
Labe diabolicum:

Dogma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Dogma ſtat, quod appellatur
Veriore, quam plebs ratur,
Nomine Catholicum.
VVilliborde, vir virorum,
Deus in ſancta ſanctorum
Suſtulit te meritò,
Vbi pulchram fers coronam:
Votis tuis ſedem bonam
Nobis ibi quærito.

CREDO.

SPretâ quâvis captione,
Hæreſi, & factione,
Fide ratum habeo
Deum eſſe, quem parentem
Colimus omnipotentem:
Vnguem hinc non abeo.
Eſſe ſtat & creatorem,
Rebus cunctis qui decorem,
Naturamque contulit.
Ieſum unicum ſtat natum
Chriſtum Dominũ vocatum:
Illum Sanctus detulit
Spiritus in virginalem
Alvum factam maternalem
Mariæ puriſſimæ:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Illum Pontius Pilatus
A Iudæis provocatus
Afflixit ſæviſſimè.
Eſt in crucem ille datus,
Mortuus, ac funeratus:
Deſcenſorque petijt
Triſtes ſedes inferorum
Et a locis mortuorum
Reſurrector redijt
Tertianam ſub Auroram.
Et poſt brevem deinde moram
Conſpectus hominibus
Cælos ſcandit elevatus:
Nunc ad dexteram locatus
Sedibus ſublimibus
Eſt Patris omnipotentis
Dei cuncta poſſidentis.
Hinc iudex venturus eſt
Vivorum & mortuorum;
Et ſuâ cuique menſorum
Menſurâ menſurus eſt:
Spiritum ſic Sanctum credo,
Et Eccleſiæ me dedo
Facilem Catholicæ:
Sanctorum communionem,
Culparum remiſſionem
Approbo ſymbolicè.

Quin credo reſurrecturam
Carnem hanc poſt mortem duram,
Mox ut taratantara
(O ſonum plenum horrorum!)
Tubæ dicent Angelorum:
Ieſu, tu me compara. Amen.

Octo Beatitudines.

Quiſquis non vis bis perire,
Sed ad vitam pervenire
Beatus Angelicam;
Octo tibi patent portæ,
Per quas itur unâ morte
Patriam in cælicam.
Spiritus, non qui habendo,
Delectetur, ſed carendo,
Aſtris dominabitur:
Paradiſum poſsidebit
Mitis: culpam qui deflebit,
Veniâ lætabitur.
Qui iuſtitiam ſititor
Appetit, & eſuritor,
Implebit hunc ſatias:
Qui fraternè miſeretur,
Ipſas Dei conſequetur
Miſerantis gratias.

Corde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Corde qui eſt illibato,
Puro & immaculato,
Deum contemplabitur:
Blandæ pacis architectus
Dei verus, & electus
Filius vocabitur.
Quos iniuſti perſequuntur,
Quique cladem patiuntur
Nomine iuſtitiæ,
Coronati triumphabunt,
Et in cælis ſubregnabunt
Domino lætitiæ.
Chriſtiane, quid pererras
Devius longinquas terras
Diteſcendi cupidus?
Ah, quid in rapinas tendis;
Fur quid aliena vendis
Infamis, & ſtupidus?
Furens ultor quid igneſcis,
Quid offenſus iram neſcis,
Aut non vis deponere?
Vindicandi ſtudioſus
Geſtando laborioſus
Te fatigas onere.
Non in domo ploratorum
Eſſe vis, ſed lætatorum,
Atque cachinnantium,

In quà commeſſationes
Sint, & recreationes
Leviter ſaltantium.
Cur ſtateram veterator
Tu corrumpis? ineſcator
Cur tu captas populum?
Cur per est, non, verba binâ
Fraude trahis Sireninâ
Naufragos in ſcopulum?
Durus es, & inhumanus,
Et ficulnus es Beanus;
Non moveris gemitu;
Non molliris miſerorum,
Sed ſaxeſcis afflictorum
Lachrymoſo fremitu.
Heu adultera iuventus,
Venenoſus, & cruentus
Te calor deſibulat:
Faſcinoque fert raptatam
Lepra: te lues fœdatam
Exantlanda tribulat.
Spernitur pax blandicella:
Placent bella tetra bella:
Omnes viri Martes ſunt:
Qui non certant, & contēdūt,
Nec Reſpublicas incendunt,
Molles, & inertes ſunt.

Multi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Multi, qui iuſti putantur,
Crucem tamen deteſtantur,
Reſpuunt triſtitias;
Horrent perſecutionem,
Et tremiſcunt Aquilonem;
Ambiunt delicias.

Ad Heribertum Roſvveidum.

SI legiſti, meliorum
Heriberte vir virorum,
Rhythmos tui Plempij;
Aliqualem poſt cenſuram,
Iuxta meam coniecturam,
Dicis, non ſunt impij.
Notæ ſunt vetuſtioris;
Non autem Latinioris,
Ob quædam vocabula,
Quibus uſus ſum libenter,
Scribens rhythmos negligenter
Non victuros ſæcula.
Si quid habent non antiquum,
Deleatur ut iniquum
Antiquis cenſoribus:
Non antiquis adverſari
Volui, ſed ſuffragari
Sacris, atque moribus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Sed quod porrò te volebam,
Nil Vacunæ tribuebam,
Iambos locans potiùs
Ad Timotheum extremo
Hoc libello, quos nonnemo
Legat bonus ſocius.
Ad Timotheum, meorum
Qui eſt minor germanorum,
Pius, ac induſtrius;
Doctus quoquè litterarum
Profanarum, & ſacrarum,
Quibus nil illuſtrius.
Verbi Dei propagator,
Eſtque næ concionator
Dignus meo carmine:
Scio parentes gaviſos,
Et felices ſibi viſos
Illo quondam germine.
Tandem, Pater Heriberte,
Ne diutiùs morer te
Diſtractum negotijs,
Pono Iambos ſaniores
Pharmacis, & potiores
Multis catapotijs.
Si feſtivis, ac ſerenis
Nuptiarum cantilenis
Præſtat epicedium:

Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Si mors verbis explicata,
Si mors crebrò memorata
Mortis eſt remedium.

Ad Timotheum.

Tu mihi quo nuper miſiſti paucula fratri,
Verba ego nunc ſenſu multa remitto tibi.



I

Hoc invenuſtum, trux, & effrons ſinciput
Amarulentùm ridet, ac Titanicùm.
Mortalis ecquis te putas riderier?
Sic te profectò mimus oſtendit tibi.
Vulcanus ipſe riſui ſe loripes
Cunctis putabat eſſe claudicantibus.
Cæcutiat ſi cæculus cum cæculo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Coramve balbo balbulus balbutiat,
Illudere alter alterum cenſebitur.
Tibine monſtrum credis eſſe ſimillimum
Moriturus hoc? an tute es ignotus tibi?
Vtpote ſuperbis, & caput protervior;
Attollis, auro nixus, aut honoribus;
Aut pulchritudine, & iuventute integrâ.
Eſt hæc quidem frons tetra perſimilis tuæ:
Mentior: erit perendie, cras, hoc die,
Hac ipsâ & horâ, & punctulo ipſo hoc tēporis.
Iam frons tua effrons neſcit erubeſcere;
Fides ſepulta eſt, eſt ſepulta humanitas,
Ac vita ceſſat ante tempus otio.
Nec te, cadaver, credis irriderier?
Ridenda prorsùs ſunt puſilla pectora,
Animique nani regulos ſtupentium, &
Modicas coronas. Temperat felicia,
Regniſque maior nemini mors invidet.

II

Hoc mortis eſt os, hoſpes: hic Menippus eſt
Ridens ſuperbam Principum potentiam,
Venereſque ridens, atque mel Cupidinum;
Ridenſque divam ſcilicet pecuniam.
Cur rideat, rogas? papæ! tu ſuſpicis
Delirus admirator, & magni facis
Nugas honeſtas, ſplendidaſque bullulas.
Hic riſus haud eſt riſus? aſt irriſus eſt.

Abi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

Abi quidem: diſcedis hinc quò longiùs,
Accedis hoc ad os eò propinquiùs.
Augmenta vitæ mortis incrementa ſunt:
Qui ſeriùs moritur, moritur is ſæpius:
Nulla olla, quàm tu, veriùs mortem coquit.

Iſta videbaris iamdudum ſcribere, frater:
Hìc tua verba quidem, qui volet, ipſa legat

III

Vt ridet effrons ſinciput! riſum tenes,
Spectator? an te verò rideri putas?
Non falleris, ſi tantulì putas bona,
Vel mala; triumphos, aut cruces vitæ brevis.
Mors ſceptra ridet ipſa, ridet regulos,
Animoſque nanos regna ſuſpicientium:
Ridet potentes inſolens Craſſos; feros
Ridet Nerones, & cruentos. te quoquè,
Spectator, hac ridente ſi riſum tenes.

Quæ vis miſſa mihi gratiſsima verba venire,
Mortis, fac mortis me faciant memorem.
Crede, ſalutandus delecter nomine mortis;
Mortis ſit dictum nomine dulce vale.
Emendat vitam mors prælibata notando,
Sanaque formandæ pondera mentis habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]

In Zoilum.

DIſce tacere,canis : non vult tibi Plempius eſſe
  Fabula ; quod nomen, Zoile, penè tuum eſt,
Præſit,quæ latrat ; quæ putet,littera deſit.
  Nempe mihi rhythmos ſcribere luſus erat.
Et proclive ſatis. quid tum ? proclive poëtis
  Scribere quis rhythmos omnibus eſſe neget.
Quodque fit ex facili,meliùs fit & aptiùs : hinc eſt
  Muſa bona, Aoniæ quæ fluit inſtar aquæ.
Sed loquimur tantùm. quoq; tu , qui nil niſi latras,
  Si bona lingua tibi eſt,Zoile,diſce loqui.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
199 C 8 [1]